



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XC. Baldvins. LXIV. Arch. XIX. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

cives Henrici Comitis Lüzelburgici in urbem recepti ope maxima freti plenam legendi deinceps Magistratus sibi vendicârunt copiam, Diethero frustra ad arma confugiente. Ea tamen lex seditiosis est imposta, ut Archipræsuli suo fidem sacramento firmarent, nec ejusdem sententiis se contraventuros esse unquam promiserint. Confluentiæ non ita res successit: seditiosi enim cives obsidione cincti, & armis sunt debellati, eò majori odio in Electorem suum accensi. Odium hoc diminuit, si non sustulit mors Dietheri. In æde monasterii S. Dominici sepeliri cupivit an. 1307. Sed. 8.

XC. BALDUINVS. LXIV. ARCH.
XIX. ELECTOR.

Balduinus Henrici Lüzelburgici Comitis, & demum Cæsaris frater spei maximæ à Clericis postulatus, Piétavii primò Episcopus est consecratus. Trevirensibus dein exoptatus, jus à civibus recens. conscriptum fratris favore & auxilio fretus abolevit. Annis dein proximis Welaliam & Poppardiam ab Augusto fratre pro navata fideli opera in bello Italico datas ditionibus suis adjunxit, servato altiori dominio Imperatori. Henrico Imperatore mortuo tristiora fata passus est unà cum universo Imperio, dum Electores Imperii in partes geminas divisi, duos elegere Imperatores solio supremo dignissimos, si unum duos posset capere solium. Balduinus Ludovico Bavaro addictus, in Henricum Coloniae Electorem Friderici Austriaci amicum arma convertit; mox verò rebus Coloniae compositis in Spanhemios & Westerburgos à seditione publica vix remotos transtulit. Hactenus tamen multis formidatum Balduinum, & ab Imperatore Ludovico variis beneficiis & honoribus auctum, ac passim multorum victorem gloriosum Laureta Spanhemienfis Vidua Princeps ad Mosellam captum Starckenbergicæ arci inclusit, admodum gravi pe-

cuni-

cuniarum summa, & juratis de pace perpetuò servanda pactis redemptum. Hoc maximè modo vicissitudinis humanæ admonitus, Wormatiensem Episcopatum, quin & Moguntinum denuò sibi oblatum, nullo pacto admisit, sed congregata Synodo pro Clericorum reformatione eò curas omnes convertit, ut Benedictus XI. Ludovico Imperatori faveret, & acta Joannis Pont. rescinderet. Cum Eduardo Anglorum Rege annis proximis habita sunt consilia, & pacta inita multis modis vituperata, præsertim à Francis, quorum Regem Philippum conjunctis armis petere erat animus, multo auro corruptus. Mutato rursus Imperii statu, mutatus Elector in Carolum IV. Ludovico Cæsari subrogatum Imperatorem omne contulit studium, quin cum Carolo Gallis adstitit contra Eduardum, aliis summum jus, aliis summam injuriam clamantibus. Güntherum etiam Comitem Schvartzenburgicnm à nonnullis Imperii Electoribus in Cæsarem postulatum armis removit. Ultimis etiam exspirantis vitæ annis nunc belli, nunc pacis studio identidem magis inclaruit à Brovero & aliis Scriptoribus dictus *Vir domi forisque prudentiâ, pietate, & fortitudine excellens.* Addere lubet verba ultima: *qui postquam multis partibus Archiepiscopatum amplificasset, extremum vitæ tempus, ut plurimum in Carthusiana solitudine nocturnisque ac diurnis vigiliis orationibusque transegit, Seculi illius lumen & Episcoporum decus.* An. 1354. mortuus sepultus est in summæ ædis choro: Sed. 47.

XCI. BOEMVNDVS II. LXV. ARCH.

XX. ELECTOR.

BOemudus II. ex illustrissima Edendorffiorum de Saræ ponte familia natus, in Sedem Balduini vocatus venit; qui pace cum Trevirorum civibus firmata, & clientelâ diverforum Comitum, oblatis peramicè feudis, sese communire laboravit. Accessit continuò Caroli Cæsaris & favor & gratia, quibus Trevirensium Electori pene negatum est nihil. Unde beneficiorum acceptorum apprimè memor, cum Treviri Imperatorem exce-

Q 3

pissent